

DE ARBUTO UVA URSI
DISSERTATIO BOTANICO-MEDICA

QUAM

VENIA EXP. FAC. MED. UPSAL.

PRÆSIDE

C. P. THUNBERG

COMMENDATORE REG. ORD. DE WASA

MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. REG. COLL. SANIT. MEMB.
HON. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET NAT. CURIOS. REG. SCIENT. UPS. LOND.
HOLM. AGRIC. MED. ET EVANG. SOCIET. OECON. UPSAL. PATR. HOLM. ET
CIV. OECON. FINL. HONOR. WERMEL. JUNEC. WESTM. CALM. ET ÖREBR.
BEROL. ET FRANCOF. ET LIPS. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. MOSCOU. ET HALBNS.
HIST. NAT. GORENK. PHILAD. LUND. HARLEM. AMSTELOD. BONNENS.
OECON. ET INST. LITT. ZELAND. NIDROSIENS. TURICENS. IENENS. LINN.
LONDIN. MEDICO-BOTAN. ET HORTI-CULTUR. REG. SCIENT. PHYS. ET
PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. SCIENT. GOTHOB. MONACH. ERLANG.
WETTER. NANCIENS. MARPURG. MED. PARIS. EMUL ET LINN.
MONSPEL. MED. MATRITENS. MED. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. ET PETROP.
MEDICO CHIR. ET PHARMAC. MEMBRO NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. ET
INSTITUT. NATION MONSPELIENS. AGRICULT. PARIS. MEDIC. LONDIN. SCAN-
DINAV. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

PRO GRADU MEDICO

PUBLICÆ CENSURÆ OFFERT

AUCTOR

CHR. SÖDERBERG

Wermel.

IN AUDIT. BOTANICO DIE XXIX NOV. MDCCCXXVI.

H. A. & P. M. S.

UPSALIÆ,
EXCUDEBANT PALMBLAD & C.

QK495
F233
T58
1826

8

VIRO AMPLISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

ERICO HÖGBERG

ARTIS MACHAONIÆ CULTORI GRANDÆVO

ET INDEFESSO

dedicatum

voluit, debuit

AUCTOR.

ÅT

DE

HULDASTE FÖRÄLDRAR

SÅSOM ETT RINGA PROF

AF

SONLIG KÄRLEK OCH TACKSAMHET.

DE ARBUTO UVA URSI.

Quamquam plurima memorabilia de hac planta priori seculo conscripta circiter sexaginta abhinc annos a Cel. *Joh. Andr. Murray* a) egregie collecta sunt, tamen notitia illorum temporum, præsertim chemica cum enucleationi nostri ævi doctrina minus congruit. Et quum postea plurimum recentiorum Medicorum cum Uva ursi in multis morbis felici experientia, curatae Hydro-
pis casum mihi addere contigerit, non potui non, quin animum ad accuratorem rei impetrandam notitiam accenderem, et ubique sparsa lumina colligerem. Quibus in unum collectis, lucis, quantum poterò, afferam, et primum Phytographicum deinde Chemicum nec non Medicum plantæ Characterem explicare, conabor.

Sectio I. PHYTOGRAPHIA.

Jam inde ab antiquis temporibus cognita hæc fuit planta, crediturque *Diocorides* illam sub *ιδαιας ριζης* descripsisse. Apud *Galenum* b) autem vocatur *αρκυσαφυλη*; planta enim, quam *Hæmoptoicis* commendat secundum illum "in Ponto cre-
scit, humilis et fruticosa est, folio memæcyli c) fructum fe-
rens rubrum et rotundum, gustu austerum." Postea apud plu-
rimos Botanicos variis nominibus occurrit, donec nomen *Arbu-
tus Uva ursi* Linnei tempore vulgo obtinuit. Satis igitur cog-
nita est illius descriptio et synonymia botanica; quare brevem so-
lummodo Characterem indicare opus est. In *Decandria* et *Di-*

a) Comment. de Arb. Uva ursi Gott. 1765. item Appar. Medicam. Vol. II.

b) de Compos. pharm. sec. loc. L. 7. c. 4. p. 548.

c) *Memæcyllum* significat Matthiolus in Comment. in Diosc. Lib. I.

gynia systematis sexualis locum occupat; secundum vero naturale inter *Bicornes* Linn., seu *Ericas* Jusf. interponitur.

Charakter genericus. d)

Calyx quinquepartitus, minimus, Corolla ovata, ore constricto, revoluta, basi pellucida. Antheræ bicornes. Bacca supra, calva, quinque locularis, seminibus solitariis osseis.

Species.

Apud nos solum unica occurrit, cujus nunc, prætergressis exoticis, designatio sequitur.

ARBUTUS UVA URSI: caulibus procumbentibus, foliis cuneiformibus, subtus reticulatis, integerrimis perennibus.

Arbutus Uva ursi apud plurimos auctores. Fig. Lin. Fl. Lapp. t. 6. f. 3. junior planta. Girardi de Uva ursi nov. anim. t. 2. Sandif, Thes. Disf. t. 8. Fl. Dan. t. 33. Schmidt arb. t. 138. Su. Bot. t. 85.

Succis: *Mjölon*, *Mjölonris* ob baccas siccas, farinaceas.

Habitat in collibus campisque apricis, saxosis vel arenosis, sylvaticis, sterilissimis totius Europæ, præsertim septentrionalis copiose. Per totam Sueciam frequenter usque ad Lapponiam occurrit; in America etiam boreali ex. gr. Canada et ad fretum Hudsonis.

Descriptio: cum folia sola in Officinis versantur, horum forsan sufficiat attulisse notas.

Folia plurima, perennantia, ramea, simplicia, fere pollicaria, alternantia, ascendentia, margine plerumque cauli aduersa, breviter petiolata, obovato-cuneiformia, coriacea, utrinque glabra. Pagina superior venis impressis notata, læte virens;

d) secundum Cel. *Wahlenberg* in Flora Suecica P. 1. Ups. 1824.

inferior fusco-reticulata, pallidior. Margo integerrimus, subrevolutus, in junioribus evidenter ciliatus. Apex aliquantulum reflexus, in junioribus acutior, in adultioribus obtusior.

Tempus colligendi optimum ante florescentiam, quæ in nostris regionibus in mensem Majum et Junium incidit. Folia solum viridia & integra colligenda atque leni calore siccanda sunt.

Propter intimam suam cum *Vaccinio Vitis idæa* affinitatem, facile cum eodem commutari potest, idque eo magis, dum eodem gaudet domicilio. Neque parvi habetur eos discernere, *Vitis idæa* multo minores possidente vires medicas.

Folia hujus latiora, obouata, subtus punctis crebris notata, sunt. Caules non procumbunt, sed oblique asurgunt, inferne insuper paucioribus, tum ramis, tum foliis instructi. Sed ut melius appareat harum plantarum discrepatio, comparando conscribam characteres.

Uva ursi.

Fol. versus basin angustiora, subtus lævia.

Caul. procumbens.

Coroll. ovata, infera, 10 continens stamina.

Bacca sicca, farinacea, insipida, quinque locularis, seminibus quinque majoribus.

Vitis idæa.

Fol. ad basin latiora, subtus punctata.

Caul. oblique ascendens.

Cor. supera, campanulata, staminibus 8.

Bacca succosa, grate acidula, quadrilocularis, polysperma, seminibus minutis.

Sectio II. PHARMACOGNOSIA.

Sapor foliorum adstringens, postea haud ingrante amarus, denique dulcescens, salivam advocans. Odore carent, nisi pulverata, dum dulcedinem istam, quam succus Glycyrrhizæ vel recens fœnum gramineum exspirat, quodammodo æmulantur. Color pulveris foliis integris pallidior.

Stipites et præsertim Cortex adstringentiori, sed minus amaro gaudent sapore, et ob multam suam fibræ inefficaciores, meritoque ex officinis exclusi, sunt.

Analysin chemicam, quantum ego cognovi, nemo post *Murray* instituit, cujus tempore eandem plantam etiam chemice scrutabantur *Gerhardus*, *Quer*, *Modelius* et *Girardus*. Argumentum tamen eorum, nostrorum temporum doctrinæ minus aptum, pauca præter Tannini præsentiam docet, quo ferrum atro colore præcipitatur.

Cel. *Murray* e) tamen, qui substantiam accuratius inquirebat, etiam resinam viridem, parum amaram, gummi fuscum, intense amarum, cristalla cubica, forsan acidi gallici, et sal incombustibile, invenit. Quod propria mea experimenta, cum foliis recentibus instituta, confirmarunt, comparationis causa afferre, mihi in animo est.

Succus turbidus per aquam e foliis contusis extractus, atque ebullitus, fæculas deposuit virides, quæ separatim siccabantur.

Succus dein defæcatus limpidus, colore dilute luteo brunneo, sapore adstringenti amaro, cum solutione gelatinæ animalis mixtus copiosissimum albo colore præcipitavit Tanninum. Quo vero excolato, in restante solutione Murias ferricum colore aterrimo, nulla tamen præcipitato, multum indicavit Acidum gallicum quod in his foliis, majore quantitate, quam in aliis plerisque plantis, occurrere videtur. Estque ideo Uva ursi vegetabile, quod inter nostratia proprietatibus gallarum turcicarum proxime accedit, ne quidem domesticis gallis exceptis.

Solutio tannini nullum præcipitavit Extractivum amarum; contra vera spiritus vini nubeculas gummosas deposuit, quæ seorsim evaporatæ et siccatae gummi, haud exile, dilute brunneum sapore amarissimo, dedere. Luculenter igitur apparet, Amarum

e) Comment. de Arb. U. urb.

Uvæ ursi principium non extractiva sed gummosa indole gaudere: præcipitatur nempe alcohole, non tannino, et transparentis est, et optimo sane jure amarum gummosum apelletur,

Ex fœculis illis viridibus spiritus vini tum frigidus, tum calidus, ceram extrahebat viridem, pulcherrimo saturato colore spiritum tingentem, insipidam atque inodoram, mastigandi mollem. In carbonem accensum posita intumuit, fere incensi ceræ flavæ odorem spargens. Residuæ etiam foliorum partes eandem, spirituosa extractione et cum aqua præcipitatione adeptam ceram, reliquerunt.

Quum ad quantitatem partium constituentium explorandam nunquam animum attendebam, nisi conjiciendo, eam determinare impossibile est, videtur tamen

<i>Tanninum</i>	efficere partes	circiter	65.
<i>Acidum gallarum</i>	—	—	10.
<i>Amarum gummosum.</i>	—	—	15.
<i>Cera et Fœculæ</i>	—	—	10.

quod tamen pro certo non habeatur.

Efficaciam Uvæ ursi medicam a principio scytodephico plurimi derivavere, neque negare decet, quin valde efficax principium sit: credimus tamen, vim ejus insigniorem, seu specificam illam in organis urini-feris, præcipue acido gallico deberi.

Noscit enim unusquisque, quam singularem acida vegetabilia in organis urinaris prodant vim; intima scilicet sua coherencia decompositioni fortius resistunt, ita ut integra per sanguinem ad renes et vesicam provehant, ubi tunc efficaciam suam evolvunt. Eadem etiam cum acido gallico probabiliter est ratio, ideoque etiam clara Uvæ ursi foliorum in his corporis partibus tonica et adstringens vis. Cum vero experientia docuit, nostram plantam plurimis aliis quantitate acidi gallarum præstare, om-

nibus facile apparet, quantum in morbis organorum uropoëticorum reliquis adstringentiis anteferri debeat. Principio suo amaro stomachica, principio styptico univcrsum corpus, atque acido gallico vias urinarias præsertim, roborans, fit.

Nulla *Arbuti Uvæ ursi* præparata in Pharmacopoliis nostris occurrunt, propinatur nempe optime et frequentissime *Pulvis*, in dosi a granis decem usque ad drachmam semis vel integram aliquoties de die. Sed quoniam apud multos Nauseam ciet, corrigentiis quibusdam aromaticis conjungi haud iniquum est, vel etiam datur *Infusum* vel *Decoctum*, quæ ambo, præsertim hoc, efficaces partes bene extrahunt, atque nuperrime dicto incommodo carent.

Infusum paratur a drachmis duabus foliorum cum libra una aquæ ferventis. Ad *Decoctum* sumuntur etiam drachmæ duæ foliorum atque una aquæ libra, quæ coquuntur ad remanentiam libræ dimidiæ. Dosis utrorumque horum præparatorum solita, est uncia dimidia aliquoties per diem.

Infusum spirituosum seu *Tinctura* inutilis, partes enim efficaces foliorum spiritu non bene solvuntur.

Sectio III. THERAPIA.

Multiplex usque ad nostrum tempus *Uvæ ursi* usus fuit. Nempe a *Galeno* jamjam contra *Hæmoptysin* commendata, postea a Medicis *Monspesulanis* contra *Calculum* propinabatur, unde laudem nimiam lithonripticam obtinuit. Ita laudatur pulvis a *Cel Sauvages* f) atque præsertim a *Cel. de Haen*, g) qui, multis suis in calculo felicibus institutis experimentis, maximam illis celebritatem tribuit.

f) Nosol. Method. T. II.

g) Rat. Medendi T. II.

Lithontripticam vero ejus vim nullam esse, jamjam eodem tempore ostendit Cel. *Murray*, h) atque post illum plurimi illustres Medici idem affirmaverunt, quod tamen non permittit, omnem ei abnegare efficaciam, quod etiam multi præsertim Angli fecere.

Si enim planta calculos solvere non valet, tamen inter nostri ævi medicos constat judicium, eam in genere adstringendo corpus roborare, amaritie ventriculum adjuvare, et sine dubio multa facere ad talem corporis constitutionem efficiendam, sub qua sana et ad concreta calculosa condenda minus proclivis urina generetur.

Inter omnia vero adstringentia, sine dubio nullum majori, quam folia *Uvæ ursi*, vi ad Diuresin augendam pollent, diuretica autem mitiora, ne scilicet partes irritatione calculorum affectæ nimis irritentur toto die, non quidem ad calculos solvendo, sed ad illos auferendo et lotio expellendo, adhibentur. Merito igitur in morbo calculoso laudem tribuunt hisce foliis auctores, abigunt enim irritamentum, immodicam compescunt sensibilitatem, sabulum præsens expellunt, formationem novi prohibent, dum scilicet meliorem urinam producant, statum vero morbosum renis vel vesicæ, profluvium ejus mucosum, quod secundum *W. Austin* i) formationem efficiet calculorum, atque exulcerationem, corpus roborando corrigunt.

Sed non solum in hisce Systematis uropoëtici, sed etiam multis Systematis genitalis morbis folia valent, vel quo in genere tonica et adstringentia utilitatem afferant; quamobrem morbos, in quibus usurpati et usurpandi sunt, nunc enumerare restat.

Calculus tum *renalis* tum *vesicalis*. In hujuscemodî casibus imprimis celebrata sunt idque jam a veteris annis. Ut

h) Loco supra citato.

i) *Huf. Journ.* T. XXX. III. p. 76. vel etiam in ipsius auctoris *Treat. on the orig. and. comp. parts of the stone in urin. Bladd.* Lond. 1791. etiam *Abhandl. für Prakt. Aertz.* T. XVI.

laudatores ejus, de *Haen*, *Murray* et inter recentiores *M. von Willich* k) citare sufficiat. Illi pulverem merum dederunt, hic acido carbonico junctum. Symptomata molesta semper mitigabantur, mucique excretio augebatur, sed cessante ejus usu, semper solatium quoque cessavit.

Cel. etiam *Præses* mihi communicavit, quod in India orientali commorans, *Uvam urfi* ex Europa requisivit, atque pluries ejus in calculis pereximiam virtutem observandi occasionem invenit.

In *Nephritide felici* cum successu plures illam adhibuere. Sic in *Annalibus illis Läkaren och Naturforskaren 12:te Band*, legitur, quod ex sedecim ægrotantibus duodecim sanati sunt.

In *Diabete mellito* decoctum adhibuit Cel. *Mynster* l) secundum sequentem formulam: *R. Folior. Uvæ urfi.*

Rad. Liquir. aa Unc. semis.

Rad. Senegæ drachm. duas.

coque cum

Aquæ libra ad reman. Unc. octo.

colat. adde

Spirit. salis dulcis dr. duas.

Dysuriam tribus tantum dosibus pulveris curavit *Vogel*. Bonum eventum præterea experti sunt de *Haen*, *Werlhoff* & *Murray*.

In *Emuresi* plurima alia remedia antecellit. Pulvere foliorum et aluminis morbum curavit *Günther*, m)

Item in *Paralysi vesicæ* multam accepit laudem, etiam a Suecanis medicis.

Catharrus vesicæ cessavit infuso foliorum cum camphora. *Michaëlis*. n)

k) *Huf. Journ.* T. XXI. II. p. 118. vel etiam *Balding. magaz. für ärzte* T. X. II. p. 117.

l) *Acta nova Societ. Med. Hafn.* Vol. 1.

m) *Huf. Journ.* T. LXI. VI. p. 27.

n) — — T. XXXIV. II. p. 29.

Mictus cruentus et Hæmorrhoides vesicæ pluries Uvæ ursi succubuerunt. De Haen, Hufeland.

Pollutiones vi sua eximia roborante forma pulveris suffrixit. o) In Blennorrhœa vesicæ et vaginæ optimam curatoriam vim possidere, conveniunt plures. Decoctum ad uncias quasdam de die dedit Himly, p) qui etiam in Blennorrhœa pulmonum feliciter propinavit.

Phthisin vesicæ pulvere feliciter sanavit Bourne, qui postea etiam in Phthisi pulmonali usus est. q) Inter sedecim ægrotantes phthificos, quos tractavit, tres morte amisit, novem omnino restituti sunt, ceterique convalescere inceperunt. Animadvertendum autem est, quod non sincero foliorum pulvere utebatur, sed secundum hanc Feriarii formulam, Cinchona et opio commixto.

R. Folior. Uvæ ursi pulv. gr. decem.
Cort. Cinch. pulv. paulo maj. dos.
Opii pulv. gr. semis
m. Div ter de die.

Nemo quidem negabit, quin Cinchona Opiumque multa huc effecerint, sed etiam Uvam ursi plurimum adjuvasse, verisimile est.

Cel. Mynster r) præterea testatur, se plurima Phthificos Uvæ ursi curatæ exempla vidisse, attamen præsertim, quæ refert, tria, quibus nulla fere spes sanationis affuit. Senega, camphoratis corticeque peruviano incasum adhibitis, tandem primum easum decocto juxta hanc formulam parato, curavit.

B

o) of Journ. T. XV. II. p. 73.

p) — — T. XXX. III. p. 24.

q) Cas. of pulmon. consumpt. treated. with. Uv. ursi Lond 1806. vide Bradleys Journal. Vol. XIV. p. 461.

r) Nova Acta Reg. Societ. Med. Hafc. Vol. 1.

R. *Folior. Uvæ ursi* drachmam.
Rad. Liquir. conc. drach. duas.
coque cum
Aquæ — — libra.
ad colat. unciar. octo *adde.*
Syrupi Altheæ unc. semis.
M. *D:r*

Hujus decocti unciam dimidiam pro dosi propinavit et usum per longum tempus protraxit.

Alter casus denique partibus æqualibus *Foliorum Uvæ ursi* et *Gummi arabici*, cum jusculo secalino omni mane, sanatus est.

Tertium exemplum forsitan notabilius. Aegrotans summo gradu imbecillus, tussi purulenta, febre continua ad vesperam exacerbata, viribus ita prostratis, ut per menses lectum tenere coactus sit, hydrope anasarca notabili, decubitu horizontali ob dyspnœam intolerabili, fluctuatione aliquali abdominis, tamen usu *foliorum Uvæ ursi* cum *pulv. rad. Liquir.* optime convaluit.

In *Hydrope*. Quantum ad notitiam meam pervenit, nunquam antea in hoc morbo, si excipias præcedentem casum, qui cum hydrope complicatus fuit, adhibita est Uva ursi, quamquam jam Gerhardus s) proponit ejus usum in Cachexiis et Hydrope; quamobrem forsitan haud indignum erit afferre, quod propria mea in hac re experientia me docuerit.

Nauta circiter sexaginta annos natus, multa maris gravamina perpesus, gravissimo denique Hydrope corripiebatur, ita ut me adveniente non solum mortem minitante Hydrothorace, sed etiam completa Anasarca, præsertim pedum, nec non Ascitide, afflictus esset. Vires prostratæ, respiratio difficilis, co-

s) Die Bärentr. chem. medicin. betr.

lor labiorum cœruleus cum pluribus aliis symptomatibus cachecticis, affuere. Ingens œdema extremitatum, ad quod accesserunt urgentes et continui vomitus, quibus omnes tum cibi tum potus æque ac aquæ copia rejiciebantur. Cum vero inquisissem, post inunctionem ætherolei Therebinthinæ in pedibus Hydrothoracem pervenisse, solitis remediis hunc facile superari mihi videbatur; quod etiam factum est, quamquam crebri vomitus medicamentorum usum valde impediabant, quorumque ob causam roborantem medicinam et diætam præscribere necessarium fuit.

Cinchonam autem non pertulit, quare infusum foliorum Menyanthis trifol. summitat. Absinthii atque baccarum Juniperi parvis sed frequentibus dosibus adhibitum est. His remediis organa digestionis corroborabantur, ut medicamenta retinere et cibos assumere posset, atque valde emendaretur.

Nihilominus tamen anasarca pergebat, Scillaque, Digitali, Mercurio dulci, Acetate Ammonico, Cremore Tartari, Aqua Sambuci, fomentis siccis et falciis frustra usus tandem infortuita affligebatur Ischuria, cujus causam calculo inesse suspicabam. Hac emollientiis remediis sublata, meque persuaso, Hydroperem a laxitate renum dependere, postea folia Uvæ ursi cum Rad. Iridis florentinæ et Cinnamomo dedi, secundum sequentem formulam.

R. *Folior. Uvæ ursi* drachmam
Rad. Irid. florent. scrupulum,
Cort. Cinnamomi.
 vel etiam si potius placet,
Rad. Zingib. scrupul. semis.
 m. f. p. *D:r in tribus dos. per diem.*

Et qui effectus inde secutus est? Immo primo et secundo die nullus, cum vero quarto revenirem. quod mirum, omnis aqua resorpta, et per copiosam urinam ejecta erat, ita ut cutis

extremitatum inferiorum, post secesum lymphæ relaxata, in rugas sese contraxisset, specie fere pedum gallinaceorum. Eodem modo manuum atque abdominis oedema evanuit, ut senex plane convalesceret, et plurimum annorum tempore corpus suum tam gracile non vidisset. — Neque, usu Arbuti per longius tempus continuato, postea rediit Hydrops, quod alias timendum fuit.

Quum Hydrops non minus sanatu difficilis, quam huc nimis frequens morbus sit, hocce remedium mihi videtur maximam merere attentionem, non solum propter vim suam et diureticam et roborantem, sed etiam quam maxime ut remedium domesticum, quod undique parari potest, et forsitan sæpe curæ sufficiat; præsertim si jungatur *Infuso juniperi amaro Ph. Nosc. Milit. Holm.*, 1) quo solo infuso hæc æstas Anasarcam curare mihi contigit.

In *Plica polonica* ad externum usum commendat *Frank*. Decoctum nempe vel Infusum ad plicas lavandas datur.

Præterea multam *Uva ursi* offert utilitatem æconomicam, quæ tamen nostra non refert, ideoque ex hacce opella excluditur.

1) paratur ita R. *Baccar. junip. contus.* Unciam.
infunde in.

Decocti amari serv. Libra.
colat. adde.

Spirit. frumenti unc. quatuor.

D: vasculatum.

Ipsius autem decocti amari præparatio talis est, qualis

R. *Menyanth. folior.* unc. octo.

Absethii summit. unc. quatuor.

Aque cong. quatuor.

Cogus ad remanent. congior. trium.